



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Summa malitia eorum, qui adulterare permittenst, vt permitta[n]tur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

locupletata est. Nullam ergo femiñam egestas debet ad illicita lucra impellere. Meliùs nouit Deus succurrere, quàm impuri amatores. Nullum virum spes opum aut potentia debet ad inhonesta inuitare, etiamsi Manuèl Imperium Constantinopolitanum Irenes Augusta stuprò dicatur meruisse. *Quid enim prodest homini, si mundum uniuersum lucretur, anima uero sua detrimentum patiatur?*

IX. 4. Denique sunt mulieres, quæ non solùm, ad virorum suorum adulteria coniuuent, sed etiam incitant; atque hæ longè profectò infelicissima. Siquidem potestatem dant, ut potestatem accipiant; & maritos peccare sinunt, ne ipsæ peccare prohibeantur. Putant enim sibi vetari non posse, quod coniugi concedunt; quasi, pari iure, liceat utrinque delinquere; & vnus in altero agrè ferre non possit, quod ipse facit, cum fidem frangenti, fides frangi possit. Atqui Deus fidem non frangit; seruate, ô miseri, quod Deo spondidistis. Non est in coniugis potestate, *fidem* laxare. Ob hanc mutuam dissimulationem, perfidiam non excusatis, sed geminatis. Quare duplex est hoc malum, vnum prostituti, prostituentis alterum. Quod non de peccato duntaxat intelligo, sed etiam de animi dolore. Dolet enim vtique, qui vendere vxorem precio cogitur: & dolet vxor, si videt, se pecunijs esse coniugi viliorem. *Misit aliquando David nuntios ad Ithobeth filium Saul dicens: Redde vxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputijs Philistinum. Misit ergo Ithobeth, & tulit eam à viro suo Phaltiel, filio Lai. Sequēbaturq; eam vir suus plorans vsque Bahurim. Quantum plorabit, qui vxorem suam viderit duci in cubile alienum vanalem, nec vllò iure, sed insigni infamia sua euntem? Et malum igitur est, & semper coniuncta cum magno malo, fides tot violata.*

X. Verùm quia huc vsque de viris adulterio matrimonium fœdantibus potissimum egimus, ostendendum est, à feminis etiam hanc *fidem* non rariùs violari, ne superbiant, tanquam castiores. Enimuerò, si ad comparisonem veniatur, fraudes hïc longè odio digniores inuenientur. Certè Poëta, ad nescio quam scribit:

Obicitur